



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stella Mystica

Bonald, François

Coloniae, 1607

De infoelicitate illorum qui naufragium in mari huius mundi patiuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10014

coeleste regnum perueniunt, non
satis efficaciter te allicit ad eam pe-
tendam & persequendam. Confide-
ra è contrario infœlicitatem illam
atque ingentia mala quæ illis im-
minent, qui in mari huius mundi
nafragium facientes ad inferos
descendunt.

*De infœlitate illorum qui naustra-
gum in mari huius mundi pati-
untur.*

CONSIDERATIO.

Scriptura sacra quando
narrat, quomodo Core,
Dathan, & Abiron, qui
contra Moysen rebella-
uerant, terra dehiscente viui ad in-
fernum descenderint, aperte satis
indicat infernum, damnatorum o-
mnium sedem ac receptaculum,
sub terra esse, ac proinde locum esse
humilem, obscurum, tenebrosum,
angustum, atque sordibus & im-
munditia plenum, qualia consue-
runt esse loca subterranea & carce-
res, in quos terreni Reges grauioris
alicuius

*Infernum
sub terra
est.*

*Illius descri-
ptio.*

alicuius criminis reos conijciunt.
 S. Iob appellat hunc locum *terram*
tenebrosam & opertam mortis cali-
gine. Christus nominat eum *tene-*
bras exteriores. In hunc teterrimum
 locum recluduntur omnes qui nau-
 fragium in mari huius mundi passi,
 & in mortali peccato vita functi
 sunt. Ibidem multis gravibus &
 immanibus supplicijs cruciantur.
 Primum poena damni, siue sem-
 piterna priuatione claræ visionis
 Dei, propter quam conditi fuere.
 Quod tormentum, tam ingenti
 atque acerbæ mœrore animas illo-
 rum conficit, ut cogitatione com-
 prehendi nequeat. Id D. Chryso-
 stomus luculentis verbis testatur cum
 ait, Nullum esse aliud tormentum
 quod comparari possit cum illa tri-
 stitia damnatorum, qua cruciabun-
 tur eò quod tantis bonis excide-
 rint, quod à Deo separari, odio ha-
 beri, atque tristem illam sententi-
 am, ite maledicti in ignem eternũ,
 audire meruerint.

Supplicia
damnatorũ
Pœna dam-
ni.

*S. Chryso-
 st. de re-
 par. lapsi.*

Secundo, torquentur igne qui in-

L 4 cessant

*Ignis inex-
tinguibilis.*

cessanter eos adurit. Hic ignis, licet iuxta SS. Ecclesie Doctorum, atque Theologorum doctrinam corporeus sit, nihilofecius vim habet, Deo sic volente, animas corporis & corruptionis expertes comburendi.

*Vermis im-
mortalis.*

Tertio verme immortalis, hoc est perpetuo remorsu conscientie cruciantur, quæ illos continuo arrodit, & nullam eis quietis partem diebus ac noctibus relinquit.

Hæc tria tormentorum genera nunc & sæculis nunquam finiendis damnatorum animas affligent. Quemadmodum autem gloria & foelicitas beatorum augebitur, quando corpora sua gloriosa in nouissimo iudicij die resument: ita damnatorum miseria & infoelicitas non parvam accessionem sentiet, quando corpora sua graua, infoelicia, & maleolentia recipient. *Omnes enim resurgemus*, inquit S. Paulus, *sed non omnes immutabimur*. Nam corpora iustorum, erunt impassibilia, clara, agilia, & penetrantia, vt ante dixi.

2. Co. 5.

1. Cor. 5.

Corperada mus.

Corpora vero impiorum, erunt

runt passibilia, obscura, foetida & valde graua. Passibilia erunt, vt sup-
 plicia quæ patiuntur, sentiant, sed
 ita vt nunquam tamen consuman-
 tur. Obscura & deformia, eò quod
 facies habituri sint carbone nigrio-
 res, quemadmodum Ieremias in-
 quit. Immobilia erunt, non secus ac
 lapides: & graua non aliter atque
 plumbum, vti sacræ literæ diuersis
 in locis testificantur. Quare damna-
 tionis sententia lata, terra dehiscen-
 te, in profundum inferni barathrū
 horribili sonitu corruent, vt illic
 perenniter in omnibus animæ fa-
 cultatibus ac singulis corporis sen-
 sibus particulares pœnas experi-
 antur. Christus ait, *in domo Patris*
sui mansiones multas esse, quo signi-
 ficare voluit, secundum quorundā
 Doctorum expositionem, in cœlis
 vnumquemque beatorum habitu-
 rum speciale domicilium in quo
 satis amplè commoretur, cum liber-
 tate ambulandi & exspatiandi quo-
 cunque pro solatio & voluptate ca-
 ptanda collibitum fuerit. Non eadē

*mnatorum
 erunt passi-
 bilia.*

*Deformia,
 Thren. 4.
 Immobilia
 & graua.*

*Ioan 14.
 Beatorum
 quilibet
 spatiosissi-
 mus habe-
 bit aomici-
 lium.*

L s erit

*Non sic da-
mnati.*

Pfal 48.

Matt. 13.

*Beati de-
gent in per-
petua clari-
tate.*

*Damnati
vero in per-
petuis tene-
bris.*

*S. Gregor.
li. 9. moral.
cap. 46.*

Sap. 17.

Iob. 20.

erit conditio damnatorum, nam iuxta Psalmistæ sententiam, recludentur in angusta illa inferni caverna, sicut oves in stabulo: & præterea tanquam fasciculi simul colligabuntur, quemadmodum Christus in parabola zizaniorum indicavit. Sancti versabuntur in perpetua claritate, & oculis corporeis intuebuntur splendorem & gloriam corporum glorificatorum: pulchritudinem tabernaculorum & ædificiorum cœlestium: & denique solis materialis & Lunæ ac Stellarum cæterorumque astrorum fulgorem. At impij degent in densissimis tenebris, in antro illo inferni subterraneo & tenebrosissimo, nec unquam videbunt lumen. Ignis enim inferni, secundum Theologorum sententiam, obscurus & tenebrosus est, si quid luminis eis præbet, id ad maius tormentum illis cedit, quoniam mirum sua inuicem supplicia, horrendas etiam atque teterrimas demonum species cernant. Hinc sapiens ait, Quod personæ tristes appa-
rentes

rentes pauorem illis incutiēt. Et S. Iob inquit: Quod venturi sint super eos horribiles, qui eos deridebunt & subfannabunt.

Adhæc oculi eorum fumo sulphureo ex igne eleuato, cruciabuntur: qui tantam illis molestiam adferet, vt solum hoc tormentum sufficiens esse possit quo miseri & infoelices iudicarentur. Neque auditus mitiora supplicia sentiet. nam loco suauium & continuarum melodiarum quibus sancti in coelis recreabuntur, audient illi tristes & lachrymosas voces & ploratus eorum quos in damnatione socios habent: nec non horrendos clamores & rugitus demonum carnificum suorum. Cui rectè accommodatur dictum illud Amos Prophetae cum ait: *Leo rugiet, quis non timebit?* Quasi diceret: Leonis illius infernalis Luciferi vocem vsque adeo terribilem esse, vt totus infernus ad clamorem illius præ ingenti pauore concutiatur. Tum igitur damnati infoelicitatem & miseriam his S. Iob verbis deplora-

*Damnati
quæ in v. su
tormenta
sentiant.*

In auditu

Amos. 3.

*Damnato-
rum lamen-
tationes.*



Iob. 3.

rabunt & dicent: *Pereat dies in qua
natus sum. Et, Vtinam consumptus es-*

Sap. 5.

*sem. Et. Repleta est malis anima mea.
Et miserabiliores sumus omnibus Er-*

In gustu.

*rauimus à via veritatis, & iustitia
lumen non luxit nobis, & sol intelli-*
gentia non est ortus nobis. *Lassati su-*
mus in via iniquitatis & perditionis.
Hi erunt damnatorum ploratus &
lamentationes. Hæc lugubria illo-
rum cantica, quæ mutuo sibi ad au-
res accinent. In gustu præterea, vo-
luptatem illam quam ex cupedijs
& delicatis cibus ac potionibus in
hac vita hauserunt, grauius luent.
Etenim quando sancti cœlestis Pa-
radisi, ore suo pretiosissimum quen-
dam & suauissimum liquorem in-
cessanter continebunt: liquorem
inquam longè dulciorem & delica-
tiores Manna Hebræorum: Dam-
natis contra fercula & potiones a-
cerbissimæ & amarissimæ ministra-
buntur. Fel enim, vt S. Scriptura in-

Deut. 32.

quit, draconum vinum eorum, & ve-
nenum aspidum insanabile: *Vua cori
vua fellis & botrus amarissimus. Et*

Plat.

Psalmista: Ignis, sulphur, & spiritus *Psalm. 10*
procellarum, pars calicis eorum. Dæ-
 mones qui hæc eis pocula misce-
 bunt, cogent illos etiam inuitos vt
 bibant. *Inclinabunt, vt ait Scriptu-* *Psalm. 74*
ra, ex hoc vale in hoc, veruntamen
fex eius non exinanietur, bibent om-
nes peccatores terra. His spiritibus *Apos. 17*
 iniungetur vt peccatoribus præbe-
 ant calicem indignationis iræ Dei.

Ad odoratum quod attinet, quã- *in odoratu*
 do electi ex semper vernantibus flo-
 ribus, & suauissimis odorem
 Paradisi cœlestis oblectationem
 capient: reprobis volutabuntur in
 foetoribus intolerabilibus, & cloa-
 ca immundissima infernalis cauer-
 næ. Sancti tui, ait Propheta loquens
 ad Deum, germinabunt sicut lili-
 um, & vt odor balsami ante te. Con-
 tra damnatorum corpora vsque ad
 eo foetida & graueolentia erunt, vt
 ne ipsi quidem foetorem suum
 sufferre possint. Legimus de rege
 Antiocho, ipsum in ægritudine sua *2. Machab.*
 tam grauem è corpore suo foeto- *re*
 rem exhalasse, vt nemo eum prop-

ter insolentiam foetoris portare
 posset, atque odore illius ac foeto-
 re, exercitus grauaretur. Si vni-
 uersum taxat corporis foetor tam into-
 lerabilis fuit, quantum putas fo-
 torem esse qui ex innumeris dam-
 natorum corporibus in inferno ex-
 halat? Sed veniamus ad sensum ta-
 ctus & videamus nū ista forsitā pau-
 lō mitius habeatur q̄ ceteri. Sācti vt
 Propheta inquit, *Exultabunt in gla-
 ria, latabuntur in cubilibus*, non fa-
 me conficientur, non frigore cruci-
 abuntur, non vlla alia re externa
 molestabuntur, vt in præcedenti
 consideratione declaratum est, sed
 non sic damnati.

In tactu.

Psal. 119.

*Damnato-
 rum suppli-
 cia.*

Ignis.

*S. August.
 serm. 181.
 de temp.*

*Aque niui-
 um.*

Iob 24.

Primo namque, ignis eos omni
 ex parte circumdabit, & ita com-
 buret, vt tamen nunquam consu-
 mat: quemadmodum SS. Ecclesie
 doctores afferunt.

Secundo, aquis niuium immer-
 gentur, & ab illis ad calores nimi-
 os, vt S. Iob ait, transibunt: Neque
 hoc aliquod illis refrigerium præ-
 stabit, sed cruciatus illorum magis
 augetur.

Tertio.

*S. Aug. lib.
de fide & o
per. cap. 15.*

*Cause cur
iustum sit
peccatores
aeternis tor
mentis affli
gi.*

*S. Gregor. 4
Dialo. cap.
44.*

*Exhortatio
amatorum
huius mun
di ad peni
tentiam &
amendatio
nem vite.*

dam Ecclesie Doctor aduertit & monet, Christum intelligere, igne hunc & actionem illius, quae est ardere ac vrere, sempiternum fore. Quod nemo a veritate alienum esse putare debet, propter multas easque firmissimas rationes. Primo, quia peccatores cum Deum infinitum offenderint, poenam etiam infinitam merentur. Secundo quia, ut S. Gregorius ait, improbi voluissent, si potuissent sine fine viuere, ut potuissent sine fine peccare. Ad iustitiam ergo iudicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato. Tertio, quia cum sint peccatum mortale priuati principio veniae quod est gratia: & propterea semper contaminati maneat illius culpa, iustum est ut etiam supplicia patiantur. Quid vobis nunc o miseri peccatores, quid inquam de infaelici hac damnatorum conditione videtur? an non est digna quae diligenter memoriae mandetur, & totis viribus fugiatur? Quid igitur

igitur facitis? quid cogitatis? non animaduertitis vobis è propinquo hoc malum imminere, vt ab inferno deglutiamini, & omnibus his miserijs, quà nunquam finem accipient inuoluamini? Dignitates & honores vobis placent, hos magna cum ambitione quæritis, in adeptis autem inaniter & superbè gloria mini, nec vobiscum expenditis, quod potentes potenter tormenta patientur: & fortioribus fortiora *Sap. 6.* supplicia reseruabuntur.

Auaritia vos adigit ad bona plurima per fas & nefas, per vsuras, rapinas aliasque rationes illicitas cumulanda, nec audire vultis S. Paulum apostolum dicentem, quod auari sint excludendi à regno cœlorum, hoc est, præcipitandi ad inferos.

Gulæ nunc toto pectore inservitis, genioque liberaliter indulgetis, ac delitijs & voluptatibus carnis & sensuum vos inebrietatis, sed mors improuisa vobis superueniet, quæ vitæ vestræ filum abrumpens, in æterna

terna

terna vos supplicia præcipites ager.
 In præfenti vita cum proximo fami-
 liariter & amicè conuerfari non po-
 teftis, vſque adeo inuidia & vindi-
 ctæ cupiditas corda veſtra occupa-
 uit, proximos percutitis & vulne-
 ratis: foelicitati eorum inuidetis,
 in damnis & incommodis eorum
 lætamini: Et nihil oſcius cum in
 tam malo ſtatu vitam agatis, veſtrâ
 ſalutem nihilipenditis. Cum de ſa-
 nitate corporis agitur, nihil præter-
 mittitis, quod vtile poſſit eſſe ad
 eam vel conſeruandam vel recupe-
 randam. Quando verò de ſanitate
 ſimul & corporis & animæ quaæſtio
 eſt, nullam illius rationem ducitis.

Mercatores qui negotiantur in
 mari, ſi verſentur in periculo amit-
 tendæ corporalis vitæ, merces ſuas
 quantumlibet pretioſas in mare
 proijciunt, atque proprijs ſe facult-
 tatibus exſpoliant, vt ſemetipſos,
 hoc eſt, corpora ſua ſaluare poſſint.
 vos autem qui in ſummo diſcrimi-
 ne naufragij faciendi & æternam
 mortem atque immortalia inferni
 ſup-

supplicia adeundi constituti estis, omnia retinere, & sine cura & solitudine malorū & miseriarum quæ vos manent viuere vultis. O quam carè vobis constabunt voluptates illæ quibus nunc gaudetis! Vestri oculi, vestræ aures, vestræ nares, vestra lingua, & totum corpus vestrū, nunc sua oblectamenta capiunt: singulis obiecta illis conuenientia ministratis: & quod peruersius est, illos qui iuxta B. Pauli Apostoli cōsiliū *mortificant membra sua super terram*, ludibrio habetis. Sed veniet tempus, quando idem vos fecisse desiderabitis: & propter eorum omissionem, vestram imprudentiam accusabitis, dicetisque id quod sapiens in persona vestra, inquit: *Nos insensati, vitam illorū estimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est.* Excitamiini igitur à somno peccatorum, & audite breuem summam omnium malorum quæ vobis imminet. Deus his qui vitā

Sap. 5.

COR

Esai. 65.

corrigerere & in melius mutare nolunt, sic inquit: *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis. Ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce serui mei letabuntur, & vos confundamini. Ecce serui mei letabuntur præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis. Et nunc reges, inquit*

Psalms. 2.

Psalmistæ, intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. Ita loquitur Deus per prophetas. Sed ego ad te, Anima pia, redeo, & quantum possum exhortor, ut tuam salutem quemadmodum cœpisti, cures. Labora ut itineris & nauigationis tuæ in hoc mundo difficultates superes. In illis confugito ad Deum & gloriosam virginem Mariam, maris stellam, Dei mare, virginem singularem, & foelicem coeli portam. Roga illam ut tibi veram pacem & spirituale gaudium inter nauigationis tuæ labores impetret.

petret.

petret. Pete ab ea peccati ac exci-
tatis tuæ spiritualis depulsionem,
Obsecra illam vt tibi passionum in-
ordinatarum temperationem, &
virtutum ornamenta, mansuetudi-
nis potissimum & castitatis impe-
tret. Postula ab illa vitæ puritatem,
& iter securum, quo ad Iesu Christi
sponsi tui conspectum peruenire,
atque cum eo perenniter lætari va-
leas. Atque vt illam tantò efficaci-
us, ad eorum quæ petis impetratio-
nem permoueas, laudes illius qui-
buscunque potes præconijs celebra,
virtutes illius imitare. nam quo
magis ei te conformaueris, cò citius
auxilium & gratiam illius prome-
reberis. Denique quemadmodum
sancta & salutaria hæc exercitia per
inuocationem Dei auspicata es: sic
etiam illa, laudum illius celebra-
tione conclude, per hymni fi-
nem dicendo:

Sit

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritus sancto,
Tribus honor vnus.

MEDITATIO.

*Qua anima gratias agit Deo, illiq; cor
& voluntatem suam
offert.*

 Sanctissima, & augu-
stissima Trinitas, v-
nus in tribus personis
Deus Pater, Fili, & Spi-
ritus sancte. Quam bonum est
ad tuam interminatam bonita-
tem & diuinam clementiam
confugere. Oculi namque tui
semper aperti, & aures tuæ sem-
per intentæ sunt, ad videndos &
audiendos illos, qui ad te in ne-
cessitatibus suis clamant. Pro-
posui tibi pericula & discrimi-
na ingentia in mari huius mun-
di mihi impendentia: explicui
etiam

*Psal. 33.
Eccles. 17.*